

tempora Frideric. II. seculô currente XIII. tolerata & approbata fuit.  
*Vid. Comp. part. 2. p. 203.*

## CAPUT II.

DE CAUSIS HUJUS  
RIGORIS.

## §. I.

**D**iximus §. 25. cap. 1. diversos gradus rigoris, qvi in Jure N. major sit, in positivô minor, in eô conspicu maximè, qvod nonnunquam eandem rem aut actionem, qvam J. N. præcipit aut prohibet, Jus positivum humanum aliter fieri permittat. Ubi enim hoc minùs rigidum esse posset, qvam ubi rigorem illius negligit prorsus aut transilit? Rectè igitur fecerimus, si de hujusmodi etiam casibus, in causis illius diversitatis investigandis, ante omnia simus solliciti.

## §. II.

**De causis** Quatuor esse causas, est notissimum. A forma nihil subsidiū h̄ic est expectandum. Hæc enim nihil est aliud in lege, qvam modus præcipiendi & prohibendi, rigidus aut remissus, qvi h̄oc loco est κενόπλοος. Nec ad materiam circa qvam sive objectum configere possumus. Tametsi enim illud in jure N. & positivô accurate discernendo maximi alias est ponderis, cum ad illud, qvæ bona moraliter aut mala sunt, unicè pertineant; ad hoc autem ea, qvæ īndifferentia vocamus, propriè referantur: h̄oc tamen loco discrimen indē petere non possumus, ubi idem utriusque Juris fit objectum, per μεταβασιν mirum statui corrupto propriam, qvam in eō Jus positivum subindē non absqve causâ facit: ceu ex seqüentibus patebit.

## §. III.

Ratio itaqve hujus diversitatis unicè jam qværenda est in causâ finali & efficiente.

## §. IV.

**Incipiamus à fine:** Jus N. partim vult reducere statum integratatis, partim reliquias ejus conservare; qvoad illam nimirum, recti-

II.) κτιθέ-

σιν.

I.) in Jure N.